



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz
Toletani è Societate Iesv**

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

§. 4. De Castitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

tibi oblatū, es auersatus; extingue in nobis, quæsumus, per sobrietatis desiderium, bibendi immoderatum appetitum, & tolle nimium potionis vsum, vt dum propter te corporis delicias refugimus, delicias spiritus sciamus. Amen.

De Castitate. §. IV.

Castitas est virtus, qua ab impuris carnis voluptatibus abstinemus, cuius principium est continentia. Eius autem munus est, vehementi carnis concupiscentiæ resistere, & ab omni illicito membrorum vfu, etiamsi caro reclamet, temperare. Aliter potest Castitas definiiri, quod sit virtus, qua corpus à carnalis concupiscentiæ pollutione custoditur, & mens ab omni impura concupiscentia, munda feruatur.

Incitamenta ad Castitatem sunt:

I. Castitas honor est corporis nostri, quo à vilissima functione bestiarum educitur, & in quandam similitudinem beatorum spirituum euehitur.

Idque apertè indicat Paulus, sic ad
Thessa-

Thessa-

1 Theff. 4 3. Theſſalonicenſes ſcribens: Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnusquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum. Vides, inquit Caſſianus, quibus eam laudibus proſequatur: honorem vaſis, id eſt, corporis noſtri, & ſanctificationem appellans eam. Igitur è contrario, qui in paſſione deſiderij eſt, in ignominia & immundicia conſiſtit, & alienus à ſanctificatione verſatur.

II. Caſtitas honor eſt etiam animæ noſtræ, nam hæc, quæ ſpiritus eſt, ex corpore caſte, tanquam ex illuſtriori & digniori tabernaculo dignitatē decerpit. Et quæ per incontinentiam in terra, immo in cœno habitat, per Caſtitem habitationem ſuam figit in cœlo. Vnde Ambroſius ait: Si ibi eſt patria, vbi genitale domicilium; in cœlo profectò eſt patria caſtitalis. Itaq; hic aduena, ibi incola eſt.

III. Caſtitati eximium in cœlis præmium promiſſum eſt. De quo Gregorius.

gorius hæc ait: Admonendi sunt, pec- Greg. 3. p.
 cata carnis ignorantes, vt incessanter Pasto. ad-
 premia suspiciant, & libenter procul- mon. 29.
 dubio tentationum, quas tolerant, labo-
 res calcabunt. Si enim attendatur fœli-
 citas, qua sine transitu attingitur, leue
 fit, quod transeundo laboratur. Audiant
 quod per Prophetam dicitur. Hæc dicit Isa 56. 4^o
 Dominus Eunuchis, qui custodierint
 sabbata mea, & elegerint, qua volui, &
 fœdus meum tenuerint, dabo eis in do-
 mo mea, & in muris meis locum, & no-
 men melius à filijs & filiabus. Eunuchi
 quippe sunt, qui compressis motibus
 carnis, affectum in se prauis operis ab-
 scindunt. Quo autem apud patrem lo-
 co habeantur, ostenditur; quia in do-
 mo patris, videlicet æterna mansio-
 ne, etiam filijs præferuntur.

Actiones Castitatis sunt: I. Omnē
 illicitum congressum carnis refuta-
 re: licitum verò, qui matrimonio iun-
 ctis est concessus, admittere. Et hic est
 infimus gradus Castitatis.

II. Ab omni opere carnis, tum illi-
 cito, tum etiam licito penitus absti-
 nere.

III. Desi-

III. Desideria insurgentia carnalis voluptatis elidere, & eis omninò cōsensum denegare.

IV. In cogitationibus carnis non immorari, sed statim atque se ingerere cōeperint, vt prunam accensam, repellere.

V. Turpes motus corporis validè comprimere, & aspectum aut tactum eorum, quæ nos possunt ad opus nefarium prouocare, vel prurimum carnis excitare, fortiter cohibere.

VI. Ita cogitationem nostram sanctis meditationibus ex desiderio Castitatis occupare, & corpus abstinentia & asperitatibus domare, vt in vigilia hæc passio pro huius vitæ fragilitate nos deserat, & in somno immundæ illusiones relinquunt.

Postulatio Castitatis: Domine Iesu Christo, qui, vt sponsa in Canticis ait: *pascere inter lilia, & inter animas castas inhabitas, &* vt seruus tuus Gregor. interpretatur, *earum castitate delectaris: tolle à nobis desideria carnis immunda, & minus puras cogitationes repelle: indue animas nostras stola*

Cant. 2. 16.

stola pulcherrima Castitatis, & corpora nostra mundiciæ virore nobilitata, vt ex corpore & animo nostro, in nobismetipsis magnificum Spiritui sancto habitaculū extruamus. Amen.

De Virginitate. §. V.

Virginitas est virtus, qua quis, nunquam corruptus, firmiter statuit, carnis suæ integritatem perpetuò seruare, & ab impura voluptate corporis abstinerere. Vel est, vt Ambros. ait: *expers contagionis integritas*. Vel, vt August. *In carne corruptibili perpetua incorruptionis meditatio*. Meditatio autem significat propositum, multam curam & considerationem ad sui custodiam requirens.

Amb. lib. de virg. Aug. li. de virg. c. 13.

Incitamenta ad Virginitatem sunt:
I. Virginibus hoc donum concessum est, vt à Christi latere nunquam discedant, sed ipsum semper cingant & comitentur. *Vidi: inquit Ioannes, & Apocal. ecce Agnus stabat supra montem Sion, 14. 1. & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptū in frontibus suis.*

Et